

bus fratrum nostrorum, quae per eam quotidie universis communicantur, negligentiae, et stultitiae merito arguemur, si Virginem confestim non aedeamus, stantem prope fontem aquae vivae, et vitae aeternae, Christum scilicet Iesum, ut coelestia nobis largiter dispenset; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

Prosequimur idem argumentum, ex multiplici capite ostendentes devotionem, ac filialem affectum erga beat. Virginem, singulare nostrae praedestinationis signum esse; sed prius permultas alias praedestinationum notas ex sacris Scripturis, et sanctis Patribus proponimus.

Quamvis sacrum Concilium Tridentinum (sess. 6. capit. 12) docuerit, neminem absque speciali Dei revelatione certitudinem fidei agnoscere posse, se ad felicissimum praedestinationum numerum pertinere: sic enim ait: *Nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit; quod multo ante mihi praedixisse videtur Salomon (Ecles. 9): Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta; nihilominus ex sacris Scripturis, et sanctis Patribus permulta signa divinae praedestinationis colliguntur, quae maximam quandam moralem illius certitudinem in praedestinationum animis generant. Unde divus Bernardus (in serm. de septuag.) ait: Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit, quia in ista vita certitudinem electionis non habet, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate cruciemur: propter hoc data sunt signa quaedam, et indicia salutis manifesta, ut quibus certitudinem regat Deus eam sollicitudinis, vel fiduciam praestet eam consolationis; haec d. Bernardus. Primum et praecipuum est, cum nullus lethalis peccata habeat conscientia gravatur, maxime si id per longum tempus contingat: quod non obscure indicent verba d. Pauli (2. Cor. 1): Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae. Cum enim quempium non reprehendit conscientia peccatum aliquando commissio lethale, tunc plane usurpare potest illud eiusdem Apostoli (ad Rom. 8): Ipse spiritus testatur spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Secundum signum praedestinationis arbitror esse, cum quis post, vel multa peccata lethalia patrata, praemissa debita eorum confessione, pro longum tempus ab omni lethali peccato se abstinat; vel si labitur, diligenter curam habet, ut iterum confestim resurgat, sacramento confessionis frequenter utens: his enim poenitentibus sic contritis, et emendatis d. Paulus (2. Cor. 13) ait: An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in nobis est? Quibus persimilia sunt verba illa Christi Domini (Joan.*

14): *Vos autem cognoscetis eum, qui apud vos manebit, et in vobis erit.* Tertium signum est libenter verbum Dei audire: ut enim Christus Dominus (Joan. 8) dixit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis;* unde d. Marcus (in Act. Apostol.) ait, *audierunt autem verbum Dei, quod quod praedeterminati erant ad vitam aeternam.* Certes sicut esurire, et avide comedere, signum vitae corporalis vulgus vocat; sic dixerim vitae spiritualis, et aeternae magnum esse indicium affectare suavissimum illum pastum animarum, libenterque audire verbum Dei, et discere, sustinere triduo docentem Iesum, nec habere, quod manduces, ut quondam turba illa; certe sedere ad pedes Christi, ibique cum Magdalena audire verbum Dei, nec ab ore loquentis pendente posse avelli, non ob ministeria domestica, non ob murmur sororis, non pene ob fustarium, uti nec sic Diogenes ab Antisthene abigi aliquando potuit, ego electionis indicium valde apparet esse sentio: quod si audire verbum Dei, signum est praedestinationis, multo magis eiusdem signum erit illud meminisse, et exequi: ut enim cum non regerit cibos datos, signum bene affecti corporis est; sic memoria verbi Dei firma bonae mentis signum praesertim: unde de beata Virgine, quae inter puras creaturas principem praedestinationum locum tenet, divus Luc. ait: *Conservebat omnia verba haec in corde suo: quod velut gazophylacium, et quaedam rationalis, et viva bibliotheca erat: hinc Christus Dominus, postquam dixit (Luc. 11): Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, hoc est, in corde retinent, et opere complent: hinc enim ipse etiam comparavit terrae bonae (Luc. cap. 8), quae semen retinet, et fructum afferit: Qui in corde bono, et optimo, audientes verbum, retinet, et fructum afferunt. Unde sicut non retinere cibum, desperatissimum valetudinem corporis designat, ita non retinere in corde cibum verbi divini, signum est reprobationis, ut his verbis docuit divus Gregorius (homil. 15. in Evangelia): *Cibus mentis est sermo Dei, et quasi acceptus cibus, stomacho languente, reicitur, quando auditus sermo in ventre memoriae non tenetur; sed quisquis alimenta non retinet, huius profecto vita desperat.* Quartum signum est tribulationibus, et adversitatibus premi: etenim (Apoc. cap. 3) Dominus ait: *Ego quos amo, arguo, et castigo.* Unde divus Paulus (ad Hebr. cap. 12) inquit: *Fili mi, non negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem filium, quem recipit: in disciplina perseverat, tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corrumpit pater? quod si extra disciplinam facti estis, cuius participes facti sunt omnes; ergo adverte, et non filii estis.* (Sup. quo) divus Augustinus sic infert: *Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero florum. Noli esse iniquo sensu, et puerili, ut dicas, plus a malis pater meus fratrem meum, cui permittit facere quidquid vult, quam me, quia si me movero contra eius iussionem, flagella inveno. Potius gaude sub flagellis, quia tibi servatur haec**

reditas; illis ad tempus parit, quos in aeternum damnabit. Hinc divus Petrus Chrysologus (in epist. 4), sumpta melaphora ab aedificatione templi Hierosolymitani, sic ait: *In aedificatione enim temporali omnes lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum positione sonus mallei audiretur: neque in horreo Domini reponitur granum, donec flagellis aut trituranium pedibus sit excussum; sic et vivi lapides, qui ponendi sunt in illa coelesti Hierusalem, quae aedificatur ut civitas, variis infortuniorum concussionibus poliuntur, priusquam in aedificio coelestis habitaculi collocentur.* Unde sancta Ecclesia canit:

Tansionibus, pressuris
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis
Per manus artificis;
Disponuntur permansuri
Sacris aedificis.

Adverte tamen non esse signum praedestinationis, variis tribulationibus, et adversitatibus conculsi, nisi patienter tolerentur: ut enim dixit divus Gregorius (serm. 3. de bona pat.): *Nec enim magis aliud iniustus, et iustus discernit, quam quod in adversis iniustus per impatientiam conqueritur, et blasphematur; patientia autem iustus probat.* Quintum signum praedestinationis est abstinere se a detractionibus: cum enim David interrogasset (Psalm. 14): *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Respondet inter alia: *Qui opprobrium non accepit adversus proximos suos.* Sextum signum est inimicos diligere: ut enim dixit divus Iohannes (epist. 1. et 3): *In hoc manifesti sunt filii Dei a filiis diaboli, si diligimus fratres: ad quod etiam facit illud (Luc. 6): Dimitte, et dimitte vobis.* Septimum signum ex divo Bernardo apponit sanctus Bonaventura (lib. 4. Pharaeae cap. 19. ad finem), dum ait: *Moriens vix: unquam aliquis in cella in infernum descendit, quia vix unquam nisi coelo praedestinatus, in ea usque ad mortem persistit.* Octavum signum est misericordia in afflictis, ad pauperes, Christo Domino dicente (Matth. 5): *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Unde (3. Reg. 6) Salomon portas templi, in quo Dominus holocausta acceptabat, de lignis olivarum esse voluit, ut parabolice coelum patere operibus misericordiae ostenderet. Nonum munditia cordis est, iuxta illud (Matth. 5): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Decimum paupertas spiritus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Et in universum octo beatitudines, de quibus divus Matthaeus (cap. 5) signa esse divinae praedestinationis, quibus electi a reprobis seceruntur, percensuit doctissimus noster Vega (lib. 2. de iustis. in Concilio Tridentinum a cap. 12. usque ad 20).

Sed sancti Patres praeter omnia huc usque a me commemorata, alia multa signant, quorum brevitas causa pauca, sed praecipua recensebo. D. Ambrosius (in Apolog. de David. cap. 19) ait: *Signum electorum esse male de se sentire, delere de peccatis, cuius suum agno-*

scere. D. Gregorius (lib. 34. moral.) inquit: *Evidentissimum signum reproborum est superbia, electorum vero humilitas.* Idem etiam d. Gregorius (lib. 8. moral. cap. 41) signum praedestinationum coelestia desiderare: verba eius sunt haec: *Electorum animae ad coelestia eriguntur, reproborum vero ad terrena; ut quod ferrum mox ad magnelem adcolat, cognationem quandam alterius cum altero significat, et quod naphtha bituminis quoddam genus, citissime ad visum ignem inflammatur, signum est ignee cuiusdam in ipso naturae; sic coelestis cuiusdam originis, et iuris in civitate Dei, et beatorum habendi quoddam indicium est, saepe coelum suspirare, et dicere illum Psalmum: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam; et apparebo, etc. Quenadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Divus Thomas (opus. 60) de humanitate Christi, inter electorum signa constituit, spirituali gustu praehilare coelestium bonorum dulcedinem: praedestinationis enim dicitur (Psalm. 33): *Gustate, et videte, quam suavis est Dominus: qui enim gustat, sicut iterum: et in illo semper id contendit, ubi pleno se provolat ore: quia dulcissim ex ipso fonte bibuntur aquae.* Ac tandem divus Hieronymus ait (in epistol. quae incipit), velus scripturae celebrata sententia docet: *Signum praedestinationis esse vivere, ut pauci, qui dicuntur esse oraculum: multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Ceterum nostro argumento inserviens, inter signa praedestinationis singularis devotio, ac filialis erga Deiparam Virginem affectus, non ultimum locum tenet: nam si divus Paulus ait (ad Rom. 8): *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui, certe scit praedestinati debent Christi Domini imaginem humilitatis, patientiae, et castitatis in se exprimere; ita et in eo imaginem Christi gestare debent, ut sicut ille b. Virginem tanquam veram Matrem singulariter coluit, et adamavit; ita et ipsi eandem singulari cultus, et amoris affectu prosequantur.* Hanc salubrem doctrinam contestantur sancti Patres, probant divinae revelationes, adumbrant variae figurae, confirmant sacramenta litterarum oracula, ac peremptoriae tandem rationes constabunt: et quidem in primis ex sanctis Patribus, primum pronuncio divum Antonium (4. p. tit. 15 c. 14. §. 7), quendam Anselmi sententiam afferentem in haec verba: *In antiphona Salve Regina, dicimus, Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte: ut enim dicit Anselmus, impossibile est quod illi, a quibus Virgo Maria oculos misericordiae suae avertit, salventur, ita necessarium, quod hi; ad quos convertit oculos suos, pro eis adeoans, iustificentur.* Ipse etiam divus Augustinus (lib. orat.) ait: *O Maria tu peccatorem totum mundo despectum materno affectu amplecteris, nec deseris, quousque Deus per te placatus, ipsum suae gratiae recuperabit.* D. Bonaventura (in stim. div. amor. part. 3. cap. 19): *Vere, inquit, Domina regina est misericordiae, quia non est in hac vita sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam Salvatoris, si ad tuum reclinabit regimen.* Divus Germanus Patriarcha (in serm.

de *Zon. Virg.*) sic loquitur: Quo modo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem, ita et sanctissimum tuum nomen, Virgo beatissima, quod in ore servorum tuorum versatur, assidue, in omni tempore, loco, et modo, vitae, laetitiae, et auxilii non solum est signum, sed ea etiam procurat, et conciliat. D. Catharina Senensis (tractat. 4. dialog. cap. 139) testatur se haec verba ab ore Deiparae Virginis accepisse: *Mariae unigeniti filii mei Genitrici gloriose concessum est a bonitate mea propter incarnati Verbi reverentiam, quod quicumque iustus, vel peccator, qui recurrit ad eam cum devota reverentia, nullo modo diripietur, vel decorabitur ab infernali daemone: nam ipsa est a me velut esca dulcissima collocata, et electa pro capiendis hominibus, et animabus, praecipue peccatorum.* Beatus Alanus (lib. de psalt. Virg. cap. 11) ad finem scribit, beatam Virginem, cui ipsa valde familiaris erat, hoc ipsum sibi in haec verba docuisse: *Secretum iam pandam tibi divinae providentiae: scias enim, et secure intelligis, quod et indilate aliis patefacias, quod videlicet signum probabile est, et propinquum aeternae damnationis, horrere, et attolendum, et negligere salutem angelicam, totius mundi reparatam; habentibus vero devotionem ad hanc, signum est ordinationis, et praedestinationis permagnam ad gloriam.* Doct. Bernardus (sermon. sup. Sale. Regin.) in hunc modum loquitur: *Convenienter vocatur regina misericordiae, quod divinae pietatis abyssum, cui vult, et quando vult, et quomodo vult, creditur aperire: et quies enormis peccator non pereat, qui sancta sanctorum patrocinii sui suffragia praestat: et (serm. sup. Miss. et libr. de Concept. Virg.) haec in idem argumentum habet: Sicut a te despectus, et aversus necesse est, quod pereat. Ac tandem perdoctus auctor Pomerii (in suo stellar. lib. 12. part. 2. art. 1), postquam retulerat verba divi Bernardi (super missus), dicens: *O homo, securum non habes accessum ad Deum, ubi Mater stat ante Filium, et Filius ante Patrem, Mater ostendit Filio pectus, et ubera, Filius ostendit Patri latus, et vulnera. Nulla ergo poterit esse repulsa, ubi tot concurrunt amoris insignia; ipse continuo subdit: Si ergo nulla potest esse repulsa, ergo sequitur, quod servire Mariae est certissimum signum salutis aeternae consequendae; haec ex antiquis Patribus, et divinis revelationibus.**

Venio iam ad figuras, et imagines adamusim hoc ipsum adumbrantes. Sane peccator hoc indicium, ac irae divinae placationis signum habere poterit, cum ad b. Virginis devotionem eorum pulsari, et moveri senserit: quod non obscure in rege Assuero delinquentium invenimus: ille enim facta virgae aureae, quam manu tenebat, delicti poenam remittebat, ut habetur (Esther 5) in regina Esther (Numer. 2): *Cumque vidisset reginam Esther stantem, placuit oculis eius, et extendens contra eam virgam auream quam tenebat manu: et (cap. 4. Numer. 11): Absque ulla cunctatione statim interficiatur, nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiae, atque ita possit vivere.* Virga haec b. Virginem, virgam vigilantem, et virgam de radice Iesse

regiae prolis David egressam designabat, de qua (Isai. 11): *Egredietur virga de radice Iesse, etc.* et (Jerem. 1); et sic de ea dicitur (Proo. 23): *Si percusseris eum virga, non morietur. Idem Christus se facturum promittit (Isai. 11): Percutiet terram virga oris sui: id est, Virginis devotione. Praefores Romani in signum liberationis a servitute, virga caput serviangebant, qui statim efficiebatur liber, ut habetur (in lib. 2. cap. 1) adversus libertatem, sic etiam media Virginis devotione a Christo Domino peccator a daemonis servitute liberabitur. Idem etiam praedestinationis signum praefiguratum in illis verbis invenio (Levit. cap. 26): *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiciet vos anima mea. Quod spiritaliter impletur in iis, in quibus quasi in medio cordis a Deo Optimo devoto erga Deiparam infunditur, quam per tabernaculum Dei figuratam, communis est Patrum consensus: unde recte de hoc mystico tabernaculo illud (Isai. 4) intelligi posse diximus: Et tabernaculum erit in umbraeum diei ab aestu, et in securitatem, et absconionem a turbine, et a pluvia. Haec enim spiritaliter omnia a Deipara sanctissima suis devotis praestari cernimus, qui sciunt, quod compluribus, qui in sceleribus suis computrescunt, Christus Dominus dicere possit id, quod Salomon (3. Reg. 2) dixit Abiathar sacerdoti, qui fuerat socius tyrannidis Adoniae, et consequenter obnoxius crimini proditionis contra regem: *Equidem vir mortis es, sed hodie te non interficemus, quia portasti arcum Domini Dei.* Equidem cum area illa testamento sanctissimae Virginis figuram gereret, ut late prosequitur divus Ambrosius (serm. 8), profecto arcum Domini portare nihil aliud erit, quam affectuosam b. Virginis devotionem semper in corde, et prae oculis habere. Bone Deus, quam nulli in infernum fuisse deseras, nisi hanc secum mysticam portasset arcum, et nisi ad illam, ut olim ad arcem Noe, confugerent, ut a divinae irae diluvio pretergenerentur? Accedit, quod beata Virgo praefigurata fuit per arcum illum, de quo (Gen. 9) Dominus dixit: *Hoc est signum foederis inter me, et vos in generationes sempiternas, arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me, et inter terram, scilicet, ut non amplius disperdam illum, sicut feceram in diluvio: ad quod videtur allusisse Ezechiel (cap. 1), cum dixit: Quasi arcus cum fuerit in nube in die pluviae. Profecto beata Virgo Arcus est foederis sempiterni inter Deum, et homines, dum genuit nobis Salvatorem, qui fecit utraque unum. Foedus autem inter eam, et Christum initum est, ut ad illam conversos ille non despicial, sed protegat, et adiuvet, ut respiciant; et in adepta gratia perseverent, iuxta illud Ecclesiastici (Proo. 8): *Qui me inveniit, invenit vitam, et hauriet salutem a Domino.* Ac tandem beatam Virginem per coelestem Hierusalem adumbrari nemo ignorat: de illa unde dictum est (Ps. 78): *Qui diliquit nomen eius, habitabunt in ea; certum autem est praedestinationum habitaculum coelestem esse Ierusalem.****

Haec ex figuris suboculis sacrarum litterarum, nunc ex clarioribus sacrae Scripturae te-

simoniis iuxta communem Ecclesiae intelligentiam, idem argumentum probare contendit: illa enim consuevit in omnibus Deiparae Virginis festivitibus, quae secundum literalem sensum de divina sapientia intelliguntur, secundum moralem, Virgini apte satis accommodare, quo supposito, iam tritum, quam egregium est testimonium illud (Ecles. 24) in persona Virginis dicens: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi, in Iacob inhabitabit, in Israel haereditare, et in electis meis mitte radices.* In Iacob quidem inhabitabit, id est in supplantatore vitiorum, Iacob vero supplantatore sonat: in Iacob quoque electi, sicut in Esau reprobi, intelliguntur iuxta ea, quae Apostolus fuse disserit (in epistola ad Rom. ubi cap. 9), ex Malachia (cap. 1) citat illud: *Iacob dilexit, Esau autem odio habuit*, subdit: *In Israel haereditare, id est, in contemplativo. Israel enim, idem est, quod Iacob, praedestinationum typus, et ut multis placet, idem est, quod videtur Deum; verum, quod magis est in electis meis, id est, in iis, quos elegi, mitte radices: quod inferius se adimplet ipsa beata Virgo testatur dicens: Radicei in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Certe per populum honorificatum praedestinos intelligit, sicut Apostolus (Rom. 9) per vasa contumeliae reprobus intellexit; unde (1. Reg. 2) dicitur: *Domine, qui discedunt a te, erunt ignobiles.* Cum ergo b. Virgo ait, *in populo honorificato, implevit certe, quod ei iussum fuerat a Domino: In electis meis mitte radices; scilicet devotionis, et amoris tui.* Adde his testimoniis illud (Sapient. 10): *In fraude circumventionum illi affuit, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et dedit illi claritatem aeternam.* Quibus consonat illud (Ecles. cap. 6): *In omni animo tuo accede ad illum, in novissimis invenies requiem in ea.**

Ad extremum rationibus idem intentum confirmare pergo. Prima sit, quia Deus Optimus Maximus voluit electis suis beatam Virginem in singularem Matrem dare, ut satis indicant verba illa (Ge. 3): *Inimicitiam ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius.* Sicut enim reprobi semen serpentis sunt, ita praedestinati, qui Christum naturalem Virginis filium caput suum, et parentem agnoscut, etiam huius benedictae mulieris spirituale semen censetur, ut late docet Rupertus (2. de vict. verbi Dei, cap. 16), et sanctus Antoninus (4. part. tit. 15. cap. 14. §. 6). Unde respectu horum filiorum spiritualium beatae Virginis Christus Dominus dicitur primogenitus, ut loquitur divus Paulus (ad Rom. 8): *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ad quod respiciens divus Bonaventura (in spec. beatae Virg. cap. 8) dixit: *Benedictus pater, per quem Maria est nostra Mater, et benedicta mater, per quam etc.* Hinc ergo fit, quod sicut Dens, tanquam auctor naturae agniculo instinctum praebuit, quo ex balatu propriae matrem inter mille oves agnoscit, et ad eius ubera fideliter accurrit, ita ipse, quatenus auctor gratiae, praedestinatam gratiam infundens, hoc singulare tribuit, ut b. Virginem singulari amore diligant, et in eam af-

fectu valde filiali propendeant, et misericordiae illius ubera appetant.

Secunda ratio in eo fundatur, quod omnes praedestinati, quotquot iam Deo fruuntur in Ecclesia militante, singulari devotione, et amore beatam Virginem prosequi fuerunt, ut propterea Davidicum illud elogium (Psal. 44): *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis,* de sanctis singulari devotione erga Virginem affectis, merito intellexerunt gravissimum Ecclesiae Patres, divus Athanasius (se. de Deip.), beatus Andreas Cretensis (or. 2. de dorm. Virg.), divus Damascenus (orat. 1. de Nativ.), et Gregorius Papa Secundus (in epist. de Germ.), quae habetur in 7. Synodo (Act. cap. 4). Sicut ergo praedestinati Ecclesiae militantis beatam Virginem filiali amore tanquam Matrem prosequuntur sunt, ita et praedestinati Ecclesiae militantis similiter prosequuntur, quae propterea (Cant. 7) dicitur Deiparae: *Venter tuus sicut aecervus tritici, vallatus liliis:* quoniam, ut alibi dixi, ex divo Epiphanio (serm. de laud. Virg.), Christus granum frumenti in Cruce mortuum multum fructum attulit, et sic praedestinati omnes velut aecervus tritici ex Christi passione multiplicati in utero Virginis beatissimae, tanquam spirituales eius filii, continentur, eo modo, quo in nero Rebecca in duobus geminis Iacob, et Esau, duos populos fuisse sacra Genesis commemorat historia.

Tertiam rationem subiecio, quia inter alia caelestriae Virginis epitheta insigne est *Stellae maris*, unde illo utitur Ecclesia catholica in hymno *Deae maris stellae*, quod propterea inter pleraque alia praerale in eam convenit, quia sicut per mare navigantes, per stellam maris ad optatum portum cursum dirigunt, et perveniunt, ita per beatam Virginem quotquot ad illam se convertunt, diriguntur ad portum salutis aeternae.

Ac tandem illud in idem argumentum observatione dignum est, quod Christus Dominus, quos singulari amore prosequitur, eosdem Deiparae clientelae committit, ut Ioannem discipulum, quem diligebat, Virgini ex cruce pendens in filium tradidit, *Ecce filius tuus.* Legimus in vita S. Eleazarii Comitis Ariani (cap. 14), Garsendam nobilem, et sanctam matronam, cum pro S. Eleazario, quem ntriarum ferventer oraret, corporeis anribus advidisse Christum, sibi dicerent: *Inveni hunc, pro quo tam multum oras, noceris mi mater, meam dedisse magistrum; nihil igitur de illo dubites.* Et in revelationibus b. Gertrudis (lib. 3. c. 1): *Ex spirituali, inquit, quondam revelatione, dum intellexisset sancta Virgo Gertrudis sibi in augmentum meriti aliquid adversitatis immingere, et inde ea humana fragilitate trepidaret, pius Dominus ipsam fragilitati condescendens, misericordem Matrem suam inclinatam coelorum regnum, Imperatricem, illi dedit in matrem, benignamque dispensatricem, ut quantumcumque nimietate adversitatis supra vires gravaretur, semper ad ipsam Matrem misericordiae securum haberet recursum; cuius interventu se secreti alleviandam. Post haec brevi intervallo temporis elapso, cum valde gravaretur, recurrit ad desolatorum consolatricem, cupiens ab ea doceri,*

quid tunc sibi magis expoliret, et ab ipsa oportunitatem responsum accipere meruit: et (L. 4.) eandem revelationem (c. 49. in *Virg. Assump.*), cum cantanda esset missa, cum ex intimo cordis affectu beata Gertrudis, lecto decumbens, deprecaretur Conternum, ut sibi apud dulcissimam matrem suam dignaretur favorem, et gratiam obtinere, cui ipsa, ut sibi videbatur, nunquam debuit obsequium exhibuisse, Dominus se in amplexu matris amicissimos declinans. exhibuit ipsi omnem filiatum dilectionem, qua erga eam affectuissima, et quae peccatoribus ego propter te sim propitius, et respice haec electam meam eo affectu, ac si omnibus diebus vitae suae tibi placita, suumque devotione servisset: ad quod Virginea mater, quasi tota liquefacta, et in melleam dulcedinem resoluta, se totam hunc cum beatitudine sua ob amorem filii ridebatur impendere; haec ibi.

Ex quibus omnibus infero per argumentum a contrario, quod sicut pietas, et conversio in Virgineum, signum est aeternae praedestinationis: ita aversio a Virgine, et defectus pietatis in eam, signum est aeternae reprobationis: ad quod Salomon in persona Virginis loquens, dixit (*Prover. 8*): *Qui in me peccaverit, laedet animam suam: omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Unde virg. Bonaventura (tom. 2. opus. de sp. b. Virg.)* inquit: *Qui digne colerit illam, iustificabitur; qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis.* Hoc etiam idem mihi significasse videtur Ecclesiasticus, dum beatam Virgineum cum rosa componit, dicens (*Ecl. 24*): *Quasi plantatio rosae in Jericho.* Etenim sicut ad rosam frequenter apes conveniunt, et eius virtute fruantur; alii vero scarabaei fragrantiam odoris illius ferre non valentes, longe ab ea discedunt, ita praedestinati, velut argumentosa apes ad mysticam rosam Mariam conveniunt, ut mira eius virtute fruatur. Reprobi vero tanquam spurcissimi scarabaei, eximiae suae sanctitatis fragrantiam sustinere non potentes, ab ea longe se sequestrant; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III.

Apponuntur obsequia varia, a Virginis cultoribus praestanda, per quae tanquam per efficacissima media affectum devotionis erga Dei parentem, divina irrorante gratia, comparare, et fovere facile poterunt.

Inter omnes filios, quos Deipara Virgo spiritaliter Christo peperit, sicut nullum Iohanne Evangelista chariorem, utpote ab ipso Iesu in pignus amoris sui a ligno pendente et donatum, ita nullum illo obsequentiorem, et in famulando Virgini diligentem fuisse arbitror. Quare, ut debite Virgini inserviamus, merito illum in vivum exemplar ad imitandum nobis proponere deberemus, in eo tamen praeser-

tim, ut absque ulla interposita mora, incunctanter incipiamus Virgini devote famulari: sicut enim sanctus Iohannes, ubi Christo, e cruce suspenso, audivit: *Ecco mater tua*, affectu filiali erga tantam parentem accensus, ex illa hora accepit eam in sua; ita et nos filiali amore Virgineum prosequentes, nulla interposita mora, Iohannis exemplo admoniti, eam in propria cordis penetralia, singulari pietate, amore, et devotione recipiamus. Certe probatio amoris exhibitio est operis, iuxta illud (*1. Ioan. 3*): *Filioli non diligamus verbo, et lingua, sed opere, et veritate*: quod et lumine naturae solum illustratus docuit Aristoteles (*1. Rhetor. c. 46*), ubi cum personas recensisset, quibus amor, et honor esset impendendus, statim subiicit varia opera, quibus ille manifestari debet: *Partes*, inquit, *honoris sunt sacrificia, munera, et versibus, et sine versibus, praemia, luci, processiones, sepulcra, stantiae, victus publici, adorationes, conspectus, exitationes, munera.* quae apud singulas gentes pretiosa sunt; haec ille. Ex quibus satis utique innotescit, etiam apud ethnicos homines amoris, et honoris testamentum obsequiosius operibus declarari solitam.

Est tamen apprime observandum, quod praecipua conditio ad illa exhibenda est accurata mandatorum Dei observatio, cavendo ab omni peccato mortali, ipsa beata Virgine coelo clauante famulus suis, quod omni ministris in nuptiis Canae Galilaeae, quodcumque dixerit volens, facit: unde et quod per Davidem Dominus dixit, in Virgineum venit: *Ambulans in via immaculata; hic mihi ministrabat.* Inter haec igitur obsequia Virgini praestanda, primo loco illud adseribendum censeo, ut qui se Deiparae Virginis famulatum mancipare, ac devotionem eius ex corde profiteri cupit, habeat quam mox subiticio, huius professionis formulam, semel cordiali amore erga tantam matrem recitet, invocatis pro testibus, et intercessoribus, sanctis, quos ipse peculiare patronos habet, et cum in solemnioribus Virginis festivitibus renovet: formula haec est: *Sancitissima Virgo Dei Genitrix Maria, ego N. licet undecunque indignissimus, qui in numerum servorum tuorum recipiar, fretus tamen pietate tua admirabili, et impulsus tibi reverendi desiderio, eligo et hoc die coram beatis archangelis Michaeli, Gabriele, et Raphaeli, angelo item meo custode, et coram sanctis Ioaehimo, Anna, Iosepho, Iohanne Baptista, Petro, Paulo, Iohanne Evangelista, et coram sanctis N. N. et curia coelesti universa in meam peculiarem Dominam, Patronam ac Matrem: firmique status, ac propro me tibi ex hoc tempore semper obtemperaturam, ac fideliter famulaturam, atque ut ab aliis quoque tibi servitulum, atque ut ab aliis quoque tibi servitulum, et in servum tuum perpetuum admittere digneris. Adis mihi in actionibus meis, gratiamque mihi a Filio tuo impetres, ut in cunctis meis cogitationibus, verbis et operibus, ita me geram, nihil, ut unquam tuos tuique filii oculos offendam: ac memor sis*

mei, nec me deseras in hora mortis meae; o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria. Amen. Ul autem haec oblationem, qua Virgini Deiparae nos devotum, aliquo verum exemplo confirmemus, atque hoc loco id quod Caesarius (lib. 7. *miracul. cap. 39*) de Waltero de Birbach viro potenti, ac nobili, et ducis Lovanii consanguineo, qui in saeculari militia satis strenuus, celebre nomen erat consecutus, scribit his verbis: *Walterus, inquit, sanctam Dei Genitricem ab ipsa pueritia coepit invocare, et ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiuniis, elemosinis, et missarum celebrationibus honorare: licet enim corpore deditus esset torquentis, corde tamen totus erat in obsequio b. Virginis.* Deinde cum nonnulla Deiparae in eum beneficia narrasset Caesarius, subiicit: *Considerans, inquit, Walterus, adhuc in saeculo positus, tanta circa se b. Dei Genitricis beneficia, in tantum in illius amore accensus est, ut in quadam paupere ecclesia, in eius honorem dedicata, conscio sacerdote, fune collo suo iniecit, servum glebae se illi super altare offerret, solvens singulis annis censum de capite suo, quem servi originarii soterio consueverant; et quia propter honorem Reginae coelestis se tam valde humiliavit, ipsa summo dilectum glorificavit; haec Caesarius.* Quae porro benevolentiae signa Deiparae huic Waltero antea ostenderit, colligere licet ex quadam re plane admirabili, quam Caesarius eodem loco recenset: *Cum, inquit, quodam tempore inter multos Walterus stans, missam audiret, sacerdos, ut in canone calicem leavit, crucem auream sub eius pede conspexit, cui annexa fuit chartula, haec continens verba: Crucem hanc defer ex parte meo, Mariae, sicut matri Christi, amico meo Waltero militi prope Birbach: quam cum sacerdos legisset, post completionem missae pulpitem ascendit, et clamavit: Estne aliquis hic miles, qui vocetur Walterus de Birbach? respondentibus quibusdam: ecce iste est: Sacerdos cum seorsum duxit, crucem porrexit, et ubi illam invenit, vel quis miserit, intinavit, quam laevis suscipiens, in coenobio Hemmerrode, postea conversus, cum Abbatibus resignavit: et infra subdit: Cuius crucis aurum tanti est fulgoris, ut omne aurum in eius pallescat comparatione; haec Caesarius.* Hic porro Walterus, non solum Cisterciense Ordinem in monasterio, quod Hemmerrode dicitur, ingressus est, ubi Caesarius eiusdem Coenobii monachus, qui haec literis mandavit, cum familiariter cognovit; sed etiam ibi vitam duxit sanctitate, et erga Virgineum pietate conspicuam. Tandem Dei Genitricem cum vocante, transit ad patriam, miraculorum signis, quae loco citato recensentur, post obitum clarus.

Secundum obsequium Virgini impendendum illud est, ut quotidie cum primis et lecto surgit, praemissa salutatione Dominica, et angelica, haec assuescat sibi recommendationem b. Virginis facere, quam in officio Ecclesiastico reperio: *O Domina mea sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, et singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam, et corpus meum tibi commendo, omnem spem meam, et consolationem meam, omnes angustias, et mis-*

CARTHAGENA de B. M. F.—Vol. III.

erias meas, vitam, et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita omnia me dirigatur, et disponatur opera, secundum tuam, tuique filii voluntatem. Praesertim beneficia postulat a Christo sibi impetrari, remissionem peccatorum, extinctionem illius vitii, quod se magis dominatur, praeservationem ab omni peccato mortali, donum perseverantiae, ac ardentem amorem erga ipsam Deiparam. Vespere autem ante cubitulum, praemissa similiter oratione Dominica, et angelica, haec utatur recommendatione, quam officium parvum b. Virginis tradidit: *O Maria Dei Genitrix, Virgo galitana, omnium desolatorum, ad te clamantium, consolatrix vera, per illud magnum gaudium, quo consolata es, quando cognovisti Dominum Iesum die 3. a mortuis impassibilem resurrexisse, sis consolatrix animae meae, et apud eundem tuum, ac Dei natum unigenitum, in die novissimo, quando cum anima et corpore ero resurrecturus, et de singulis meis factis rationem reddurus, me digneris iuvare, ut perpetuae damnationis sententiam, per te pia Mater, et Virgo, valeam evadere, et cum electis Dei omnibus ad aeternam gaudia felicitate pervenire.*

Tertium obsequium est, quod famulus Virginis assuescat, antequam domum egrediar, ut Virgini beatissima, veluti peculiari suae Dominae, in cubiculo, coram eius imagine, se, suaque negotia peragenda commendat, ac sub eius amplissimo pallio, hoc est, peculiari patrocinio, tantisper se cogitatione sistat, eoque munus praesidio, contra varias hostium, tum visibilium, tum invisibilium insidias, quae plurimae passim occurrunt, foras exeat, salutationem angelicam recitet, et ab ea, eiusque filio, veluti exeamdi veniam, benedictionemque petat illo versiculo:

Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria.

Idem quoque tibi praestandum erit, ubi domum reversus in cubiculo te reperiens: et profecto ea ratione servabimus id, quod d. Hieronymus (ep. 22) inter alia monita virgini Eustochio, aliique religiosam vitam instituere volentibus, tantopere commendat illis verbis: *Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, antequam sessio, nec prius corpusculum requiescat, quam animam pascatur; sic ille.* Unde de Deipara per eam occasionem salutanda, Lanspergius in ordinario brevi manuscripto de ratione vivendi Carthusianorum egregie sic monet: *Pervoluta sacro, et redditus debitis gratis rediens ad cellam, ad imaginem b. Mariae paulisper subsiste, aut si festinato intrandum est, dum clavi reseras ostium, ora Matrem Dei, ut te adoptet, teneat, possideat in flum. Cellam ingressus, primum sit, quod ante omnia facias, ut in oratorio ad orationem proclatas, b. Mariam cellae Patronam, ac Dominam salutaturus: dicit ergo mente devota unum Ave Maria; haec ille.*

Quantum obsequium est, ut speciali devotionis affectu, et quoad fieri possit, frequenter salutationem angelicam recitet; ad quem affec-

lum excitandum, commentarium hunc, Laco-
nico, ut aiunt, stylo scriptum, in salutationem
angelicam accipere, variam meditationis mate-
riam tibi subministrantem. *Ace*: hoc est, gau-
de. Causa autem huius gaudii multiplex est:
scilicet, quia in matrem Dei divinitus electa,
quia originalis maculae expers, quia gratia
plena, quia Spiritus in te superveniens obum-
bravit, quia Dominus tecum, quia benedicta
tu in mulieribus, quia Deum Virgo concepisti,
quia permanens virgo eundem peperisti,
quia benedictus fructus ventris tui, quia Filium
varii modis exaltatum vidisti, quia anti-
quum serpentem superasti, et cunctas hae-
reses interemisti, quia filio tuo, Deo et Domi-
no frueris, et cum illo in aeternum conregna-
bis. *Maria*, dulcissimum, ac mellissimum no-
men, quod interpretatur amarum mare, maris
stella, illuminata, illuminatrix, Domina, do-
minans, guttula, spes imitatrix Dei, Deus ex
genere meo, quae omnia meditantem miram praeco-
riorum Virginis materiam subministrant.
Gratia plena. Certè a principio suae creationis,
plenior seraphinis: Filium Dei concipiens, su-
perplena, non solum gratia gratum faciente,
sed gratis gratis datus, in morte plenissima,
in Assumptione superfluens, quippe quae in-
star pretiosi vasis, liquore pleni, precibus nos-
tris mota varios favores in nos fundit. *Domini-
us tecum*. quia est pater tuus, filius tuus,
sponsus tuus, tecum omnipotentia Patris, tecum
sapientia Filii, tecum bonitas Spiritus sancti,
tecum Dominus, qui pariter est tuus, qui ex
te carnem assumere dignatus est. *Benedicta tu
in mulieribus*, quae coelestibus benedictionibus
cumulata super omnes puras creaturas, nullius
etiam levis maledictionis particeps unquam
fueris. Benedicta tu inter conjugatas, quae
pariter virgo et mater fueris, et mater non
cuiuscumque, sed Dei. Benedicta, quia absque
dolore maledictionis filium peperisti. Benedic-
ta, quia maledictionem communis conversio-
nis in pulverem evasisti. Benedicta tandem
tu ab angelo Gabriele, ab Elisabeth, a Simeone,
ab Anna prophetissa, a Marcella exclamante:
Beatus venter, qui te portavit, et ubera,
quae suxisti. Benedicta ab omnibus genera-
tionibus terrestribus, et coelestibus. Benedic-
ta tandem a Domino Deo tuo. *Benedictus fructus
ventris tui*, Iesum, prolem uteri tui bene-
dixerunt angeli in nativitate, Simeon et Anna
in templo, pueri Hebraeorum in die Palma-
rum, acclamantes: Benedictus, qui venit in no-
mine Domini; ac tandem, ut loquitur divus
Ioannes (*Apocalyp. cap. 5*): *Omnis creatura,
quae in caelo est, et super terram, et sub ter-
ra, et quae sunt in mari, omnes pariter agnunt
benedictum*. Fructus sane ita benedictus, ut
maledictionem, quam immisit fructus ligni pro-
hibiti, ipse ex ligno pendens deleat, et gusta-
tus vitam reparat: talis est etiam fructus ven-
tris tui, ut sit haereditas Domini, et merces
beatorum in caelo; talis denique est fructus
ventris tui, ut sit idem, quem generavit uter-
us Patris aeterni: in coeque excedit fructus
ventris tui, quod ex eo carne indutus egredi-
ens, utilior nobis, quam ex utero Patris pro-
davit: quo nihil excellentius dici potest. *Iesus*

interpretatur Salvator, et modus, quod minus
excellens reliquis erga beatam Virgine-
m ipse exereat: aliis enim medicinam sub-
levativam post casum praestitit; Virgini ma-
tri vero suae praeservativam paravit. Nomen
tandem Iesus sanctum est, et laudabile, ma-
gnum, et admirabile, tremendum, ac terribi-
le, celebre, et gloriosum, illa ut ad illud om-
ne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et
infernarum: nomen dura peccatorum corda te-
molliens, devotionis ignem nutriens, conscien-
tiam exhilarans, imbecilles roborans; in lau-
de est dulce canticum, mel suavissimum in ore,
in corde nectar coeleste: quae omnia non igno-
rans divus Augustinus (*de contr. cord. cap. 5. to-
m. 9*) dicebat: *Iesu propter nomen tuum dulce,
fac mihi secundum nomen tuum, Iesu obli-
viscere superbum, te provocantem, respice pie
miserum, te invocantem: Iesu nomen tuum dulce,
nomen delectabile, nomen confortans peccato-
rem, et nomen beatae spei, quid est enim Iesu
nisi Salvator? ergo propter temetipsum Iesu,
esto mihi Iesus, esto mihi Salvator benignus:
noli Domine, noli attendere sic malum meum,
ut obliviscaris bonum tuum: o bone Domine Iesu,
etsi ego admisi, unde me damnare possis,
tu non amisisti unde salvare soles. Sancta Maria:
sancta anima, sancta intellectus, voluntate,
appetitu sensitivo, et omnibus eiusdem animae
potentiis; sancta corpore, sancta omnibus eius
sensibus, sancta quae utero suo, filium Dei con-
cepit; sancta, cuius virgineum claustrum, et-
iam parturienti, involutum permansit; sancta
ubera, quae lactaverunt Christum Dominum;
sancta omnia, et singula eius membra, qui-
bus Christo Domino, et praesertim infanti, variis
modis inservivit, ac ministravit: quod si
sanctum idem est quod mundum, in his om-
nibus, et singulis, quae commemorari, mira
praefulget Virginis munditia. *Mater Dei*; quae
cum sis Genitrix Dei, qui est omne bonum,
cui uni quicquid boni habemus acceptum refer-
imus, a quo bona cuncta speramus, cui tot
nomnibus tantum debemus. Ideo tu praee-
mibus, secundum Deum, summa charitate, at-
que amore a nobis est diligenda, quae cum
ex hac materitate Dei dignitatem quandam
infinitam sis assignata, singulari propterea re-
verentia, et adoratione, quam vocant hyper-
dulia, praeeferat sanctis est colenda; quae
propter hanc intimam cum Filio coniunctionem,
et apud ipsum vales auctoritate, ut magna fi-
ducia sub tuam praesidium confugere possi-
mus, quo apud eum pro nobis intercedere, et
quae salutis nostrae sunt necessaria, ab eo im-
petrare digneris: quid enim negabit matri o-
stendenti pectus, et ubera? Tu es illa terra no-
stra a Domino benedicta, quae, dante Domi-
no benignitate, dedisti fructum tuum, et ger-
minasti Salvatorem. Tu es mulier illa fortis
a Salomone nullis encomiis celebrata, quae
facta es quasi navis insistoris, de longe, hoc
est, de coelo, portans panem tuum, Christum
scilicet, qui est panis vitae; et hunc panem
vivum, qui de coelo descendit, per tuam par-
tem Virgineum enixa in Bethleem, quae de-
mum panis sonat, exposuisti. Tu es fons ille
parvus a Mardochoeo pro somnium visus, qui*

erevit in fluvium maximum, et in lucem, so-
lemque conversus est, et in aquas plurimas
reddidit, ut propterea ab Epiphania; Da-
masco, et aliis fons lucis aeternae, quae il-
luminat omnem hominem, merito appelleris:
ex te enim ortus est sol iustitiae Christus Deus
noster, qui de te ipso dicebat: *Ego sum lux
mundi. Ora pro nobis*. Divus Bernardus (*serm.
2. de ado.*) in hunc modum precatur beatam
Virginem: *Domina nostra, mediatrix nostra, ad-
vocata nostra, tuo filio nos commenda, tuo filio
nos reconcilia, tuos nos filio repraesenta, cum sis
vera Dei Genitrix, ac proinde Regina coelorum,
Domina item angelorum, atque hominum. Ideo
circo nos servos, ac famulos tuos operam tuam hu-
militate implorantes, precibus ac meritis tuis de-
fendere, ac protegere dignare, cum mater no-
stra vocari non dedigneris. Ideo pro nobis fi-
lius tuus, licet indignus, sub tuam praesidium
confugientibus, apud sacratissimum filium tuum
Dominum nostrum Iesum Christum quaesumus
intercedere digneris, cum mater misericordiae,
mediatrix item et advocata nostra merito ro-
ceris, ad nos gentes, et fentes in hoc lacry-
marum valle, illos tuos misericordes o-
culos converte, et clientium tuorum pie te in-
vocantium, patre tuum opud iudicem filium
tuum, ut suscipias, entice rogamus. Nunc:
hoc est, in hac praesenti vita, quae veluti nunc
instans, indivisibile, velox est, brevis, ac mo-
mentanea. Nunc, quia ex huius spatio nihil ha-
bemus, praeter hoc praesens nunc fugax, et in-
divisibile: praeteritum enim praeterit, et igno-
ramus, quantum nobis vitae in futurum super-
sit. Nunc, dum in hoc exilio, et valle lacry-
marum sumus, donec aspiret dies, et inclinetur
umbrae, quando adhuc tempus est misericordiae,
antequam veniat nox, quando nemo potest
operari. Nunc igitur ad te clamamus, ad
te suspiramus gentes, et fentes, ut Iesum be-
nedictum fructum ventris tui nobis post hoc ex-
cidium ostendere digneris. Et in hora mortis no-
strae. Nos omnes tuum suppliciter imploramus
auxilium, ut in extrema illa, et periculosa pu-
gna, qua callidus serpens nostrae vitae calcaneo
insidiatur, tu Dei Genitrix nos ab eodem hoste
protegere, eiusque caput contere digneris, ut
iustificationis gratiam, et in accepta iustitia ma-
gnam illud usque in finem perseverantiae do-
num, quod sine speciali Dei auxilio haberi non
potest, nobis efficaciter impetrare, et in hora
mortis nos suscipere, si loque tuo praesentare
digneris.*

Illud etiam in salutatione angelica observa-
tione dignum censui, omnia sanctae contenta
in ea ita inter se connexa, ut primum ratio-
nem reddat secundi, et secundi tertium, et
sic de aliis usque ad ultimum. Quare Virgo
salutatur per *Ace*? quia est *Maria*, amarum
mare, maris stella, Domina, et illuminata;
quare sic *Maria*? quia *gratia plena*; quare *gratia
plena*? quia *Dominius tecum*, qui fons est
gratiae, liberaliter eam tanquam futuram mat-
rem suam effundens; quare *Dominius tecum*,
aptam te reddens, ut sis mater Dei? quia *be-
nedicta tu in mulieribus*: hoc est, sanctorum praee-
 omnibus foeminis; quare benedicta tu in mu-
lieribus? quia benedictus fructus ventris tui: o-

rigo enim sanctitatis matris sanctitas filii fuit:
nec enim fructus benedictus fuit, quia arbor
benedicta erat; sed contra benedicta arbor, quia
fructus eius benedictus erat: quare benedictus
fructus ventris tui? sane quia Iesus, hoc est,
Salvator mundi, qui a quia Salvator, non solum
competit sanctitatis creatae gradus habitabilis,
et unionis hypostaticae, sed sanctitatis increatae
Dei, cum ipse sit Verbum Patris, et con-
substantialia. Propter haec ergo tam stupenda
in te patrata mysteria, mater Dei, ora pro nobis
peccatoribus, ut a morte perpetua liberati vitam
aeternam consequamur.

Quintum obsequium valde singulare doctri-
nam nonnulli insignes viri, nimirum, ut
potenti quippam propter amorem Virginis,
aut in eius nomine pollicentur, vel saltem pro-
ponant, nunquam id negaturum illa fecisse ir-
refragabile nostrum doctorem Alexandrum
Alensem, scribit sanctus Antoninus (*3. pars
historiarum tit. 24. cap. 8. p. 1*): cum enim es-
set hic doctor Parisiensis, et ex singulari ad Vir-
ginem devotione, postulanti quodam fratre
ex Ordine Minorum, Virginis amorem ro-
gatus, ut illum Ordinem ingrederetur; quam-
vis tanta, et tam inopinata petitione territus,
a Deo tamen intus permotus, se id illico fac-
turum statim respondit, idque Virginis amore
et opere praestitit; et Ordinem nostrum mirum
in modum sua doctrina illustravit. Quare non
sua tantum, verum et seipsum propter Deipara-
ram tradidit, adeo ut verba illa Apostoli (*2. ad
Cor. capit. 11*) sibi usurpare possit, Deipara-
ram alloquens: *Ego pro te Virgo beatissima li-
benter impendam, et superimpendam ipse*. Su-
ris etiam die 24. Septembris de sancto Ger-
ardo martyre, et episcopo Canadensi in Hun-
garia haec scribit: *Si quis reus ab ipso veniam
peteret pro nomine Matris Christi, mox eo au-
dito, lacrymis perfundebatur, et reum in gra-
tiam humanissime recipiebat.*

Sextum obsequium est, idque magnum
latum, maceratio corporis est in honorem Deipara-
rentis, praecipue tamen icium in die sab-
bati, et in vigiliis festivitatum eiusdem Vir-
ginis: id enim pergratum esse Deiparae Vir-
gini, miracula, et beneficia in illud praestantes
ab eadem Virgine collata satis aperte indicant,
quorum meminit Caesarius (*lib. 7. cap. 39*), Vi-
centius Beluacensis (*in Speculo Histor. libro 7. cap.
102. et 103*), et Chronica Priorum domus
Carthusiae, nec non Petrus Abbas Cluniacensis
(*lib. 2. Miraculorum. cap. 29*), et nos etiam multa
adducemus (*libro ult. de mirandis Disparas
Virginis*).

Septimum obsequium est, idque magnum
momenti ad acquirendam, augendam, et fovendam
devotionem erga beatam Virgineum, fre-
quens exercitium est interiorum animae affectu-
um; quos erga eandem beatissimum Virgineum
excitare debet: ad quod melius praestantur,
praemittere oportet varios actus fidei,
firmissime credens excellentiam beatae Vir-
ginis super omnes puras creaturas, virginitalitatem
et maternitatem eius; et alia permulta eius char-
ismata, et praerogativas: deinde in memoriam
revocare clementiam, et liberalitatem eius, ac in-

dicibilem potentiam ad impetrandam quaecunque opus habemus, ad vitam aeternam consequendam: haec enim vel simili alia cognitionis face praecedente, continuo conari debet variis in voluntate excitare affectus tum adorationis, et reverentiae, tum ferventissimi amoris, tum fiducia, tum tandem congratulationis; qua utens divus Hilarius (*hom. 2. de nativ. Christ.*) sic Virginem congratulatur: *Agnosce vere b. Virgo Maria gloriam tuam, illam, inquam, gloriam, quam tibi vel angelus nuntiavit, vel Ioannes per os Elisabeth matris adhuc de secreto uteri prophetavit. Benedicta itaque tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui; et unde hoc tibi ut veniat Mater Domini ad me? Exulta mater salutis humanae: ecce Domini mei universo mundo per tanta retro saecula promissum, prima suscipere mereris adventum: habitaculum immensae Maiestatis efficeris: spem terrarum, decus saeculorum, commune omnium gaudium peculiari munere novem mensibus sola possides. Initiator omnium rerum abs te initiatum, et profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit, ac de te suscipit quod etiam per te solet. Refert etiam divus Bonaventura (*in spec. beatae Virg. cap. 9.*), quod divus Anselmus tanti hoc exercitium faciebat, ut diceret: *Assidue rogandum esse Mariam, ut congratulatio beatitudinis eius sit semper apud nos, et compassio miseriae nostrae sit semper apud eam. Divus etiam Bernardus ad congratulandum Virgini de eius gloria in haec verba nos hortatur (serm. 1. de Assumpt.): Ut inferni sileam beneficia, quae pro illius glorificatione consequimur; si eam diligimus, gaudebimus utique, quia vadit ad filium: plene, inquam, congratulabimur ei, nisi forte, quod absit, inventrici gratiae omnibus modis inveniamur ingrati. Recle ait divus Bernardus, si diligimus eam, congratulabimur, quia revera congratulatio ex amore oritur, ut docet divus Thomas (2.2. quae. 28. art. 1), ubi loquens de gaudio ait: *Gaudium propter hoc, quod ipsi bono amato proprio bonum inest, et conservatum ex amore causatur, et hoc maxime pertinet ad amorem benevolentiae, per quam aliquis gaudet de amico prospere habente. Unde (opusc. 301) docet in patria beatos Deo congratulari in omnibus etiam operibus suis. Equidem si s. Agnes, id referente divo Ambrosio (4. epist. 34 editionis Romanae) parentibus suis, ad eius sepulchrum vigilantibus, virginum choro comitata dixit: *Congaudebe mecum, et congratulamini mihi, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi, et illi sum iuncta in caelis, quem in terris posita, tota intentione dilexi: quanto potior iure beata Virgo, quae super omnes seraphinos exaltata, et a dextris filii sui sedens, iuxta illud Davidis: *Asitit Regina a dextris tuis; a nobis, ut par est, exoptat congratulationis affectum. Hinc congratulationis exercitio valde deditum lego Carolum b. Birgittae filium, qui propterea, ut habetur (l. 7. recitat. c. 13), a morte aeterna fuit liberatus: etenim daemon conquisitus fuit apud supremum iudicem, quod b. Virgo animam Caroli et corpore egredientem, e manibus suis eriperet; b. autem Virgo in haec verba respondit, valde qui-*****

dem notanda: *Dum haec anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, recolens hoc saepius in corde suo, quod me Deus suam Matrem dignatus fuit facere, et quod super omnia creata me sublimiter voluit exaltare; et ex hoc tanta charitate cepit Deum diligere quod in corde suo dicebat sic: in tantum ego gaudeo, quod Deus Virginem Mariam matrem suam habet super omnia charissimam, quod nulla creatura, vel corporalis delectatio est in mundo, quam ego in permutationem illius gaudii recipere: imo illud gaudium omnibus terrenis delectationibus praefeream, etsi possibile esset, in qua est, a Deo remotior fieri posset, ego magis mihi in permutationem eligere, in profundum Inferni aeternaliter cruciari, et idcirco sit ipsi Deo pro benedicta gratia illa, et immensa gloria, quam dedit suae Matri dignissime infusa gratiarum actio, et gloria sempiterna. Ergo o diabole, vide modo cum quali voluntate iste obiit; quid itaque tibi videtur? utrum magis iustum erat, quod anima eius in membris veniret defensionem ante iudicium Dei, an in tuas manus veniret, quae te diligit plusquam se, antequam iudicium factum sit; haec tibi. Sed et illud, si tantae Matris filios observantes esse profitemur, valde nos impellere deberet ad gratulationis affectum erga beatissimam Virginem exercendum, quod ipsa exire a nobis illum exposulat, dum in officio Ecclesiae Romanae in die saeculae Mariae ad Nives ait: *Congratulamini mihi omnes gentes, quia cum essem parvula placui Altissimo, et de meis visceribus genui Deum, et hominem. Audiam autem fuisse ab omnibus hanc Virginis petitionem testatur d. Iacobus in sua liturgia, dum ait: Tibi plena gratia, universa creatura gratulatur, angelorum coetus, et hominum genus testatur, a quibus non dissident illa d. Bonav. (in litan. b. Virg.) dicentis: *Sancta Maria, cui Sancti et Sanctae gratulantur.***

Verum quia d. Paulum audio dicentem (ad Roman. 12): *Gaudete cum gaudentibus, et flete cum gaudentibus; non solum cum Virgine de eius bonis et gaudiis congaudere, et congratulari nos oportet; sed et de eius doloribus acerbis condolere. Illi tot fuere, ut Rupertus (in Cant. cap. 2) dicat: *Maria fuit lilium inter spinas, quia quaecunque spinae filium, eadem matrem confecerunt, et lacerarunt vulneribus compassionis: et ut lego (in Revelat. s. Birgittae) s. Agnes dixit: *Tot ictus gladii Virginem sustinuit se per compassionem, quod in suo filio vulnera videbat. Tantae ergo matri tam dira patienti, ac tam acerbis doloribus confectae aequum est condolere, et compati. Praecipue autem dolores, quos Virgo pertulit, ad septem, sicut et gaudia, revocatur: ad creantem circumcisionem, fugam in Aegyptum, triduum quo puerum Iesum perdidit, aspectum, quo Christum humeris suis gravissimum crucis pondus gestantem vidit, ignominiosam eius crucifixionem, et mortem, diuae lanceae vulnus, ac tandem depositionem eius de cruce, cum inter brachia sua illum suscepit: qui dolor per to-***

tum triduum vehementissime animam Virginis sauciabat, iuxta vaticinium Simeonis (*Luc. 2*): *Tuam ipsius animam pertransibit gladius, scilicet mortis Christi.*

Oculum obsequium est, ut examine conscientiae praemissio, cum dormitum quis se confert, nec non praemissis actibus contritionis, Deiparam Virginem salutet, et deprecetur, ut ea nocte dignetur illum ab omni labe peccati immunem custodire, et quietam faciat duocere noctem.

Ad extremum his obsequiis accedant alia, quae prolixitatis causa vitandae compendio percurrant: haec sunt, in festivitibus Virginis sacrae confessionis, et Eucharistiae sacramenta frequentare; rosarium, aut officium Virginis quotidie, vel certis diebus, et maxime sabbatis recitare; quoties excitatur e somno, praemissio Gloria Patri, Virginem salutare per Ave; templa eius adire, altaria visitare, imo si facultas adsit, erigere; donaria et offerre; imagines eius religiose exoculari; aliquid illarum secum ferre, ante illam genuflectere, aut caput aperire; quoties videtur, brevi aliqua antiphona aut oratione illam venerari; gratulante eius laudes scribere, profertur, legere, et audire: festa eius speciali religione custodire; auditio Mariae nomine caput inclinare; immaculatam eius Conceptionem iurari; frequenter in prosperis et adversis ad illam, tanquam ad piissimam matrem confugere; Ilianas eius quotidie, vel statis diebus repetere; in eius honorem elemosinam erogare, et maxime ad consecrandas Christo virginis, aut orphanas nupti tradendas; quoties pulsus horologii sonat, toties illam resalutare; Deum orare, ut donum devotionis erga matrem suam ei conferat: ita orabat s. Bonaventura (*tom. 2. opusc. 2. libell. in defect. relig. cap. 2*): *Dulcissime Iesu dignare donare mihi misero peccatori, matri tuae digne servire. Frequenter instare Virgini, ut extirpationem vitiorum, quae magis illum vexant, acquisitionem virtutum, quibus magis indiget, remissionem peccatorum, et donum perseverantiae, ac felicem in Domino mortem sibi impetrare dignetur.*

Ceterum, quia contingit, nonnullos ferventiores se exhibere in obsequiis Virginis praestandis, quam Christo Domino, placet hoc loco apponere, quod ex d. Antonino refert auctor Pomerii (*lib. 12. p. 1. cap. 2*), ubi hanc quaestionem agit in haec verba: *Nunquid inter peccata ii, qui videntur certo multo magis et devotius b. Virginem in veneratione habere, quam Christum? nam plerique devotiores sunt ad ieiunandum sabbatum in honorem Virginis, et vigiliis festivitatum eius, ad dicendum officium Virginis ampliori reverentia, quam faciant in ieiuniis, et officiis festivitatum Christi, et amplius fervent in devotione venerationis b. Virginis quam Christi. Respondetur secundum s. Antoninum Florentinum (in 4. part. summ.), quod tales magis ex simplicitate moventur, quam scientia; unde licet non deberet fieri, quia tamen secundum Damascenum honor matris in filium redundat, patientiam habet Christus huius simplicitatis. Sane etiam credere possumus, quod vult Deus per Spiritum sanctum*

inflammare multos ad Virginis matris devotionem specialem, ut per eius merita salutem consequantur, et alii eorum exemplo ad devotionem Virginis inducantur. Bonus quippe filius Dominus Iesus scilicet, quod quidquid impenditur matri, non nisi propter Christum, ex ea namque, fit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Prosequimur principale argumentum, de interna, et externa adoratione Deiparae Virginis debita, agentes, ubi genuflexionem cultum valde illi gratum, et ab angelis, et a viris sanctis usitatum, multipliciter ostendimus.

Triplex esse adorationis genus, cuncti theologo unanimi consensu docent cum angelico Doctore (3. p. q. 27). Etenim omnes dividunt adorationem in latram, dulciam, et hyperduliam. Latra est cultus soli Deo debitus propter excellentiam increatam, quam habet, ac supremum dominium, quo super omnes creaturas principatur: ob hanc enim rationem d. Paulus dixit (1. ad Timoth. 2): *Soli Deo honor, et gloria: etenim sicut, quia excellentia Dei, ut est in seipso singularissima, est nulli communicabilis, sic etiam singularissima adoratio ei soli debita est, ita ut sicut propter infinitam eius bonitatem debetur ei specialis dilectio super omnia, quae non potest aliquid creaturae tribui quantumcumque sublimi; ita ratione infinitae eius excellentiae singularis adoratio, ac peculiaris infinitae perfectionis illius aestimatio, et debita est: atque hoc genus adorationis fuit, quod deferri sibi prohibuit divus Petrus (Aetor. 10), et Paulus, et Barnabas (Aetor. 14). Unde divus Augustinus (serm. 7. ad frat. in Erem.) praecelare dixit: *Quando dulciam damus Sanctis, Deo vero latram reservamus, tunc damus nos, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo; haec ille. Et quidem cum adorationis latra sit actus quo Deo tanquam primae causae, et supremo omnium Domino nos subdicimus, consequens est, non posse hoc genere adorationis creaturam aliquam adorari: quod adeo verum esse reor, ut tametsi humanitas Christi, et eius crux latrae adoratione veneretur propter illius unionem cum Verbo, et huius contactum cum carne Verbi, nec non et illius significationem; alia tamen species latrae est distincta ab ea, qua Deus colitur: etenim haec respicit intrinsecam sanctitatem, et excellentiam ipsius Dei; illa vero extrinsecam rei adoratae. Dulcia deinde est adoratio, quae exhibetur sanctis propter excellentiam participatam sanctitatis: quod si illa sanctitas sit singulari aliqua ratione praeeccellens, tunc adoratio illi respondens hyperdulia dicitur; ad adoratio illi respondens hyperdulia dicitur; haec adoratur beata Virgo, ut docet divus Thomas (3. part. quae. 25. artic. 5. dum in corp.) ait: *Debetur ei non qualiscunque dulcia, sed hy-***

perdulia. Haec autem maior excellentia attenditur, tum penes perfectiorem gradum gratiae habitualis, et gloriae illi respondentis, qua super omnes puras creaturas beata Virgo praedia est, nec non penes sublimiorem dignitatem, nempe matris Dei, qua super omnes etiam spiritus angelicos praefulget: cui enim angelorum Deus unquam dixit, mater mea es tu? Et licet nonnulli theologi censuerint hyperduliae cultum exhibitum Virgini non esse perfectiorem in specie dulciae cultu, qui reliquis Sanctis exhibetur, quia uterque in perfectione gratiae habitualis fundatur, quae eadem est in specie in omnibus; tamen hyperduliae adorationem, quae deferitur Virgini propter dignitatem condignae Matris Dei, sine dubio censeo perfectiorem in specie esse, quia dignitas Matris Dei est dignitas specie distincta a dignitate gratiae habitualis; licet aliquando illam ut consentaneam dispositionem praesupponat, utpote ad elevatiorem ordinem spectans, scilicet unionis hypostaticae, cum implicet contradictionem, illam esse Matrem Dei et non existentem ab hypostatica personae divinae cum carne, ab ea genita. Unde d. Thomas (2. p. q. 103. art. 4. ad 2) ait: *Hyperdulia debita Virgini propter affinitatem ad Deum, esse potissimum speciem dulciae, communiter sumptae*. Quam igitur dignitas haec, in qua fundatur praedia adoratio, sit specie distincta a dignitate gratiae habitualis, et ad perfectiorem ordinem gratiae pertinet, consequens est, adorationem in illa fundatam esse specie perfectiorem omni dulcia, utpote habentem obiectum formale diversum perfectius in specie, ut more scholasticorum theologorum loquar.

Quamvis autem quidam theologi putarint, b. Virginem propter contactum cum Christo, adorari posse cultu laetiae, sicut propter eandem rationem adorantur vestes, et crux, ex qua ille pendit; oppositum tamen sapienter docuit divus Thomas (3. part. quaest. 25. art. 5), ubi postquam proposuerat hoc argumentum: *Coniunctio est Christo Mater eius, quam crux; sed crux adoratur adoratione laetiae; ergo et Respondet ad 3. in haec verba: Dicendum, quod crux non est capax venerationis, ut in se consideratur; sed beata Virgo secundum seipsum est venerationis capax; et ideo non est similis ratio*. Quibus verbis vult divus Thomas, quod cum res inanimata, qualis est crux, non sit capax venerationis, nisi propter extrinsecam excellentiam Christi, ei applicatam, nullum est periculum, quod adoretur propter seipsam; at creatura rationalis, cum sit capax venerationis propter aliquam intrinsecam excellentiam, periculum est in praxi, ut si laetia colatur, divinus honor ei deferatur; et ideo beata Virgo nec propter illam rationem adoranda est cultu laetiae. Adde, quod dum isti exaltare volunt Virginem, dicentes, adoratione laetiae coli posse, nullum certe maiorem honorem ei tribuunt, si rem attente pendamus; nam maior personae honor adoratae est propter intrinsecam, et propriam excellentiam coli, quam propter extrinsecam habitudinem contactus; cum huiusmodi honor potius sit festi-

monium excellentiae illius personae propter quam fit adoratio, quam eius, in qua actus adorandi materialiter terminatur: maiorem igitur honorem deferimus b. Virgini hyperduliae cultu eam propter intrinsecam perfectionem adorantes, quam si illo genere adorationis laetiae propter alienam sanctitatem adoravimus.

Sed quid mirum, quod tantum hyperduliae honor Virgini deferatur, tantaque reverentia colatur, cum et ipse Christus in terris sic illam honoraverit, ut ei subditus esse voluerit, et nunc in caelis eo honore illam prosequutus fuerit, ut ad dexteram suam eam collocarit? quod longe ante figuratum videmus (3. Reg. 2) in Bethsabee matre Salomonis, cui Salomon ad se venientem omni honoris significatione occurrit, eamque dignissimo loco excepit: sic enim de Bethsabee legimus (3. Reg. 2): *Surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam, et sedit super thronum suum, positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius: quae omnia figuram fuisse honoris, quem Deiparae defert Christus, ut s. Bernardinus Senensis (tom. 3. serm. 11. art. 2), eaque singillatim expendit, et (cap. 2) particulariter animadvertit verbis illis, adoravit eam, significare reverentiam filialem, qua matrem dignissimam Christus honore; scimus enim illud (Ezech. 3): *Sicut qui thesaurizat, ita et qui honorat matrem suam; quod a Christo Domino minime est praetermissum in sanctissima matre sua: Quam, ut ait Damascenus (orat. 1. de dorm.), Christus bonus legislator, etiam si legi minus subiectus sit, legem tamen, quam ipse de parentibus honorandis sanxit, explens honorat: et Hippolytus (orat. de sanct.): *Qui dicit, inquit, honora, patrem, et matrem, ut decretum a se pronuntiatum observaret, omnem gratiam matri, et honorem impendit*. Idem habet Augustinus (lib. de Assumpt. tom. 9): *Ad benignitatem, inquit, Domini pertinet, matris servare honorem, qui legem non solvere venerat, sed adimplere*. Bernardus (serm. 1. de Assumpt.): *Quis nos credat Dei Filium honorare matrem? ideoque potest Deipara merito appellari Mater honorificata*. Quare Georgius Nicomediensis (orat. de oblat. Deip.): *Quis honor, inquit, exhiberi poterit puritati Deiparae, ex aequo respondens? cuius amore captus officia, ex ea solum construxit tabernaculum, in quo minime recusavit habitare, in quo paternam voluntas est impleta; quaenam gloria ei poterit tribui pro meritis, cuius superiorem gloriam praeter se ostendit creator? o donum, quod nullo potest honore, ut par est, officii; haec Georgius*.**

Hanc reverentiam, quam Deiparae deberi diximus, declarasse videtur Iacob patriarcha (Gen. 28), cum evigilans de somno, in quo scalam illam a terra ad coelum usque protensus, angelos item ascendentes, et descendentes per eam, ipsi quem Dominum scalae innoxium viderat, pavens prae admiratione in haec verba prorupit: *Quam terribilis est locus iste? cuius rationem subiciit: Vere hic non est aliud, nisi domus Dei; et porta coeli; quae dicit iuxta interpretem sententiam, et praesertim Bernardi (serm. 6. de Annivers. Eccles.): *Locus iste est omni**

reverentia dignus, quem Deus ipse sua quoque praesentia dignatur, cum sit Domus Dei, et porta coeli. Quamvis autem locum hunc Rupert. (lib. 7. comment. in Genes. cap. 23) referat ad Ecclesiam Christi, quae futura erat; et Bernard. (loc. citat.) sacra Christianorum templa praesignata velit; tamen et ipsam Deiparam per locum illum terribilem, praecipue quoque intellectam, nemo inficiari poterit, qui attente perspexerit, eam esse Domum Dei, in qua Deus singulari modo prae aliis omnibus habitavit, eamque per hanc scalam Iacob, et portam coeli adumbratam, frequenter doceant Patres. Unde Andreas Cretensis (orat. 2): *Haec est, inquit, porta coeli, de qua Iacob dixit: Quam terribilis est locus iste? vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli*. Cum ergo Deipara propter singularem Dei praesentiam in eius utero, atque in eius anima prae omnibus aliis sit locus ille a patriarcha Iacob terribilis vocatus; idcirco magna religione, omnique reverentia, ac tremore colenda rite; quod adeo verum putavit auctor Pomerii, ut (lib. 12. part. 1. artic. 2) dicit, si loquamur de cruce Christi, in quantum fuit illi coniuncta, et ad Christum pertinet, maior honor debetur Matri Christi, quam cruce; tali ratione, quia cum coniunctio ad Christum sit causa honoris: ubi est maior coniunctio ad Christum, ibi debet maior esse honor; sed coniunctio est Christo Matri Christi, quam cruce Christi: ergo maior honor debetur Matri; secus si loquimur de cruce ratione Crucifixi, cui debetur laetia, sed non Matri, quia laetia Deo soli debetur, iuxta illud (Deut. 6), et (Luc. 4): *Domini Deum tuum adorabis, et illi soli servies, scilicet cultu laetiae*.

Verum ad id, unde nonnihil digressus sum, redeam, singulare illud adorationis genus erga Dei parentem, quam theologi hyperduliae vocant, hoc est, eminentiorem, et excellentiorem duliam, expresse tradunt Patres, dum asserunt, Virginem tanquam matrem Dei esse venerandam: sic Athanas. (in Evang. de sanc. Virg.), Damascenus (lib. 4. de fide c. 15), Germ. Patriarch. (epist. ad Ioann. Synnod.), August. (ser. 35. de Sanctis), Bernardus (ser. 1. de Assum.), Petrus Damianus (serm. 1. de Nativit. Mariae), Rupert. (lib. 2. in Cant. in illud cap. 4. Veni coronaberis), Anselmus (opus. de excellent. Virg. c. 8), demum Greg. Papa (in epist. ad Germanum circa fin.) quae habetur (in eadem 7. Synod. Aetor. 4): qui omnes cum Alban. Virginem etiam appellant Dominam, et Reginam, ideoque ipsi honorem deferendum affirmant. Idipsum clarissime testatur Nazianz. (in frag. de Christo potien.) his verbis: *Admitte, o Virgo inextinguibile, hic quando tibi verbi parenti, sed super morem tuum, legemque solum inter omnes contingit honor*. Et Ioan. Cantaz. (in epol. 3, et 9. contra Makumelanos): *Credimus, inquit, et confitemur, quod Mariae similis homo nec motus sit, nec posthac ex vivo, et muliere nasciturus usque ad consummationem saeculi, et secundum humanam naturam, eam angelis inferiorem esse iudicemus, tanquam hominem: honore autem et sanctimonia ipsa omnibus angelis, indubie prae-*

ferimus, eo quod Verbum, et Filium Dei secundum carnem peperit. Accedit Epiphani. (haeres. 79), in medio, qui dicit Mariam Virginem ceteris esse honoratiorem, propter mysterium incarnationis, ubi nomine illo comparativo aperte indicavit genus illud adorationis excellentioris, quam hyperduliae vocamus.

Sed obicit nobis Philippus Melanch. (in respons. contra Clerum Coloniensem) Epiphanium, qui (haeres. 77. circa fin. et 79) narrat, mulieres in Syria statum Mariae circumtulisse, et ei liba, et alia munera obtulisse, easque acriter reprehendit: *Nunc vero, inquit Melanchthon, magna pietas ducitur invocare Mariam, et donaria liberatiter cumulare*. Sed haec haeretica obiectio nullius momenti est: etenim Epiphanius absque praediuicio cultus debiti Deiparae Virgini supra reliquos omnes sanctos morem illarum mulierularum reprehendit; tum quod ipsae fingerent munere sacerdotali, offerentes sacrificium beatae Virgini, cum nusquam mulieribus a Deo fuerit commissum sacrificare, sed ius sacrificandi penes viros semper fuerit: quo imo Paulus (1. Corint. 14): *Non permittat, ut mulier in Ecclesia loquatur, nec aliquod ministerium perficiat*: tum quod placentiam illam panis solemnium rite, per aliquos dies beatae Virgini, tanquam Deo offerrent; quare divus Epiphanius minime improbat cultum, qui beatae Virgini adhiberi solet, donaria aliqua ad eius honorem in templis suspendendo. Unde cum et (eodem loco) sanctus Epiphanius negat Virgini adorationem, de laetiae cultu plane loquitur, ut verba eius manifeste comonstrant: sic enim loquitur: *Beata sanctum erat corpus Mariae, non tamen Deus revera Virgo erat ipsa honorata, sed non ad adorationem nobis: sed ipsa adorans eam, qui ea ipsa carne genitus est*. Ecce adorationem laetiae soli Deo debitam, negat beatae Virgini, non vero hyperduliae.

Hanc autem observandum est, bifariam posse nos exercere erga beatam Virginem tum internis actibus, ut sic non solum anima, sed et corpore. Illam veneremus: interna adoratio actus est elicitus a voluntate, ut plane docuit d. Thom. (2. 2. quaest. 84), ubi dicit adorationem consistere in interiori mentis devotione. Dixerat autem supra (quaest. 82. artic. 1. ad 1), devotionem esse actum voluntatis; quare licet adoratio supponat honorificam recognitionem excellentiae rei adoratae, non tamen consistit formaliter in ea, sed in submissione, qua excellentiam illius cognoscendo, et nos subimus, et tanquam superiori honorem, quo digna est, ei deferimus; externus autem adorationis cultus proprie fit per membra corporis, et sensus, cum ex vi, et imperio interni cultus in externa, et sensibilia illa reverentiae signa prorumpimus, quorum meminit Aristoteles (1. Rhetor. cap. 5) in haec verba: *Honoris partes sunt, sacra, memorations, decantationes carminum, aut solutae orationis ad laudem recitatio, praemia, delubra, vel primi consensus, sepulera, imagines, publici ritus, incensarii, loco cedere, munera quoque offerre*. Hunc autem externum, et sensibilem cultum docuerunt nos, non solum reges Magi, de quibus

divus Matthaeus (c. 2) ait: *Intrantes domum, invenient puerum cum Maria matre eius, et procedentes adoraverunt eum: necnon divus Paulus (ad Ephes. 3), dum inquit: Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi; sed et ipsemet Christus Dominus exemplo suo nos instruere volens circa modum aeternae adorationis exercendae, genuflexionis cultu utebatur in oratione, ut divus Lucas testatur (cap. 22) dicens: Ipse arvensus est ob eis, quantum tactus est lapidis, et positis genibus, orabat. Ac tandem de sancto Simone Anachoreta, de quo divus Damascus testatur, in eius vita per triginta annos habitasse supra eminentem quandam columnam, solis ardorem, et frigoris intemperiem patienter ferens. Beatus Theodoretus episcopus Cyprensis in eius vita scribit, ipso praesente pariter cum aliis suis familiaribus, adeo frequenter Simonem genuflexionis cultu Deum adorasse, ut quidam eorum, qui ibi aderant, mille ducentis, et quadraginta quatuor genuflexiones enumeraret, et defatigatum a numeratione destitisse; Simon autem ab eis non destitit, sed incessanter perseverans, ita humiliter se inclinabat, ut fere caput cum pedibus coniungeret. Sed et de s. Bartholomaeo apostolo omnes vitae illius historiographi referunt, per diem centum genuflexiones praestare solitum, et totidem per noctem: ut ergo quispiam b. Virginem genuflexionum adoratione religiose colat singulis diebus, oportet, ut liberis huius exercitio vacet, secretiorem aliquem locum eligere, ubi aliqua pulchra adit Deiparae Virginis imago: non enim sine causa Christus Dominus dixit (Luc. 6): Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et claudo ostium, et ora Patrem tuum in abscondito: quod, et multo ante adventum Christi observasse novimus s. prophetam Danielelem, ut legitimus (Daniel. 6), ubi haec verba habentur: *Fenestris apertis in coenaculo suo contra Hierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat.**

Deinde in memoriam revocet tres praecipuas causas, ob quas b. Virgo meretur adorationis hyperdulcia cultu super omnes sanctos, et coelestes spiritus a nobis honorari, nimirum propter excellentissimum gradum gratiae, et gloriae, in quo omnes beatos collective transcendit: propter celsissimum, ac suo modo infinitam Matris Dei dignitatem: ac tandem propter excellentissimum dominiuum, ac regale sceptrum, quo principatur, et dominatur, non solum super totam terrae faciem, sed super universam coelestem curiam.

Deinde incipiat primam genuflexionem, vel Virginem salutando, vel aliquo honorifico nomine eam compellendo: quod si memoria non tenuerit varia Virginis epitheta, habeat ad manum Virginis Ithanias, et quot ibi fuerint Virginis appellaciones, tot ipse exhibeat genuflexiones, nominibus illis eam invocando.

Potest etiam aliter illas in hunc modum exercere, ut recitans stando Rosarium, vel coronam b. Virginis, singulis orationibus dominicis, et angelicis singulas genuflexiones adiungat; cum hoc tamen discrimine, ut incipiens orationem dominicam ad Christum Dominum

genuflexionem referat, recitans vero salutationem angelicam ad b. Virginem illum dirigat: perutile etiam erit, sequentem formulam executioni mandare. Constituat se ante imaginem Deiparae Virginis, et postquam postulaverit ab ea, quae sibi magis necessaria iudicat ad salutem aeternam animae suae, instet per has obsecrationes, impetra mihî hoc Deiparae Virgo:

Per aeternam praedestinationem tuam.
Per immaculatam conceptionem tuam.
Per sanctam nativitatem tuam.
Per dulcissimum nomen tuum.
Per devotam praesentationem tuam.
Per coelestem in terris conversationem tuam.
Per purissimam desponsationem tuam.
Per superveniens in te Spiritus sancti obumbrationem.
Per humilem visitationem tuam.
Per virginem, et hilarem partum tuum.
Per intemeratam, ac perpetuam virginitatem tuam.
Per mundissimam purificationem tuam.
Per sincerissimam conversationem tuam cum dilecto Filio tuo.
Per gladium doloris, qui pertransiit animam tuam.

Per gaudia Resurrectionis Filii tui.
Per superfluentem in te in die Pentecostes gratiae plenitudinem.

Per admirabilem Assumptionem tuam.
Per gloriosam Coronationem tuam.
Per viscera misericordiae tuae.
Poterit etiam has genuflexiones exercere, antiphonas b. Virginis recitans: hymno illo praemisso, Memento salutis auctori, facta genuflexione ad Christum Dominum: deinceps quot antiphonas b. Virginis inceperit, totidem genuflexiones ei faciat: antiphonae vero sunt haec: *Quem terra, pontus. O gloriosa Domina. Ave Maris stella. Ave Regina coelorum. Alma Redemptoris Mater. Salve Regina, et exrepto tempore quadragesimali: Regina caeli lactare; ac tandem genibus flexis dicat: Sub tuam praesidium, etc.*

Est autem advertendum in festis b. Virginis, et in sabbatis multiplicandas esse genuflexiones: quod si quispiam corporis debilitate laborat ad illas exercendas, poterit eas supplere per devotam corporis, et capitis inclinationem? Quia tamen quidam propter negotiorum multitudinem non possunt huic exercitio vacare, eos moneo, ut saltem in ingressu, et egressu a domo, vel e cubiculo, vel quoties imaginem Deiparae vident, toties genuflectant, aut caput ei reverenter inclinent, partemque salutent, ne a cultu debito tantae Matris omnino extorres, et alieni fiant. Unde sanctus Gerardus Pannoniae Episcopus, et postea martyr, ut refertur in eius vita, in dioecesi sua statuit, ut audito nomine Deiparae Mariae, omnes genuflecterent, et caput inclinarent; sane ad hoc adorationis beatae Virginis laudabile exercitium non solum nos invitant angeli in coelo, sed et sancti in terra: et quidem quod ad angelos attinet, licet divus Bernardus (homil. 1. super missus est serm. 4. et 5. de Assumpt.) accomodet angelis verba illa: Quae

est ista quae progreditur? Quasi inquitribus de persona sibi ignota: quod etiam habet Laurentius Iustinianus (serm. de Annunc.); arbitrator tamen angelos tam in via quam in patria a primordiis creationis mundi b. Virginem cognovisse, adorasse, et ante regiam eius maiestatem spiritualiter genuflexisse: etenim angeli a principio Christum fide cognoverunt, et ab initio suae beatitudinis eundem in Verbo intulit sunt, tum quia fidei visio respondet, tum quia ad eorum statum maxime spectabat, summum caput ac regem agnosce; unde d. Paulus (ad Hebr. 1) dixit: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit et adorant eum omnes angeli eius:* quibus verbis non obscure indicat, semel Christum insum fuisse adorari ab angelis, cum primum illis per fidem propositus fuit, et iterum cum re ipsa in utero Virginis incarnatus, ex ea in lucem prodit. Quod si angeli in via mysterium incarnationis cognoverunt; consequens est, cognovisse ab initio b. Virginem saltem conceptu communi, credendo Filium Dei ex foemina sumpturam carnem: videntes autem Deum, cum illa visio sit perfectissima, et clarissima, consequens est, ita terminatam fuisse ad mysterium incarnationis, ut clare etiam viderint futuram Matrem Dei, praesertim quod beatae Virginis cognitio multum ad eorum statum pertinebat, cum ipsa perpetuo futura esset eorum Domina, ac Regina: et quidem cum iuxta communem theologorum sententiam, angeli non solum extra Verbum, sed in Verbo clare videant b. Virginem, consequens fit, ab initio illam vidisse, cum visio beata non recipit mutationem, et augmentum: unde d. Thomas (3. part. quaest. 30. art. 2. ad 3) plane concedit, Virginem agnitam fuisse ab angelis: nam licet dicat latuisse eius modum, qualiter Christus Dominus iaceret in virginea cellula; hoc ipso tamen praesupponit, vere agnovisse virginem cellulam, licet ignorarent modum ineffabilem, quo ibi conceptus fuerat.

Cum igitur b. Virgo fuerit ab angelis cognita a primordiis creationis mundi, pariter eundem fuit ab eis tunc adorata, cum caelo scirent Matrem esse sui Dei, et Dominam, et Regnam suam. Nunc autem angelos beatam Virginem adorare, et sicut ad nomen Iesu genuflectunt, iuxta illud Pauli (Phil. 1): *In nomine Iesu omne genuflectatur coelestium, etc.* ita et b. Virginem, et sanctissimum suum nomen spirituum genuflexione adorant, et colunt. Unde divus Damascenus (orat. 1. de Nativ. b. Mar. et 2. de Assumpt.) praecclare dixit: *Decet Dei Matrem ea, quae filii sunt possidere, et ab omnibus adorari.* Quare consuetudo illa depingendi genuflexo angelum Gabrielelem, cum beatam Virginem salutavit, mihî valde arridet. Cum sancti Patres unanimi consensu doceant, angelicum illum paranympthum missum fuisse sub specie humana, facile mihî persuasero, singulari non solum interna, sed externa reverentia b. Virginem fuisse alloquutum; ad hanc autem reverentiam pertinet genuflexio, ut consuevit fieri nunciis ad reginas destinatis.

Ad haec, nunc in coelo angeli speciali cultu beatam Virginem tanquam veram Dei sui CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. III.

parentem, adorant; unde d. Athanasius (serm. de Deip.) dixit: *Beatum te praedicant omnes angelorum, et terrestrium hierarchiae, quae et in coelis benedixeris, et in terra praedicaris.* Et divus Damascenus (orat. 2. de dor. agens de Assumpt. Deip. in cael.) inquit: *Hodierno die choreas agunt angeli, praudent archangeli, virtutes concelebrant, principatus exultant, potestates laetantur, dominationes gaudent, throni festum diem agunt, cherubin laudibus efferrant, seraphim gloria afficiunt; nec minus ipsi gloria afficiuntur, cum gloriae parenti gloriam tribuunt.* Unde nosler s. Bernardinus (tom. 3. ser. 3. art. 3) dixit: *Merito habent de illa omnes caelestes spiritus confiteri, et dicere illud (4. Reg. 10): Servi tui sumus: quaecumque iusseris, faciemus.* Praesertim tamen septem principes angelorum Deiparam peculiariter venerari, et adorare, non obscure indicat visio illa d. Ioannis (Apoc. 4), ubi ait, se vidisse septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei: quorum alter est s. Raphael, ut ipse testatur (Tob. 14): per illum enim thronum, a quo ante reverenter adstant coelestes illi spiritus, b. Virginem intelligi, quam illi venerantur, constat ex b. nostro Amadeo, de cuius sanctitate agitur (in 3. part. Chron. S. Patris nostri Francisci l. 6. c. 30), qui in suis revelationibus in primo raptu cum coelestem curiam vidisset, audivit Gabrielem, haec sibi dicentem: *Septem angeli sumus, qui Genitricem Dei nostri veneramus, alios omnes vestri generis praecedimus:* et loquebatur de septem angelis, qui throno Dei adstant, ut videre est ex eis, quem ibi subiciuntur. Imago etiam septem horum angelorum virgum manu praefertentium, quae Venetiis missio operi pervertata in quadam ex parastatis s. Marci habetur, ita est constituta, ut stantes ipsi Virginem, in throno sedentem, circumstant. Idem quoque in celebri, et antiqua imagine Deiparae in monte Virginis cernitur, quae septem habet angelos sub throno. Idem etiam in imagine s. Mariae Angelorum Romae in thermis Diocletianis, quae in summo altari colitur. Quem depingendi morem veritati consonum esse, manifeste adstruit divus Ioannes Damascenus (orat. 1. de dormit. Virg.), ubi aperte tradit, angelos Deiparae, tanquam Dei throno adstare, dum ait: *Tu es solium illud regum, cui assiderunt angeli, Dominum, et effectorem insidentem cernentes.* Accedit ad id confirmandum, quod illuminatus nosler doctor Mayo (serm. de creat. an. b. Virg.), postquam varia Virginis privilegia exposuisset, sub melaphora stellae maris, in hunc modum loquitur: *Decimum privilegium huius stellae maris est, quia habet septiformitatem in orbita, quia septem stellae notabiles voluntur circa eam. ideo eius regio dicitur septentrionalis. Ita et Mater Domini dicitur habere septem angelos notabiles, qui assistunt eius throno, de quorum numero dicitur b. Raphael, ut dicitur in Tobia, iuxta illud Apocalypsis: Gratia vobis, et pax etc. et sequitur: A septem spiritibus, qui in conspectu throni Matris, quae sedet a dextris eius; haec Mayo.*

At dicit quispiam, quam ratione apud Mayronem stella maris circumdatur a septem

stellis, cum ipsa sit una ex septem, posita in extremitate caudae ursae minoris, quae dicitur Cynosura? Respondeo, Mayronem, ut expresse habet (*in illo serm. in 4. et 9. privilegio*), et (*in serm. de nomine b. Virginis*), stellam maris ponere in ipso vero polo mundi, et addit, illam non describere circuitum circa polum, sed intra proprium ambitum volvi: et quia non videtur propter exiguitatem, quod humilitati Virginis accomodat, pro illa nos sumere aliam, quae ut ipse ait, dicitur tramontana, quae est in cauda ursae minoris, et facit modicum circuitum, estque polo maxime propinqua. Atque ita clarum remanet in Mayronis sententia, polum, seu stellam, si quae sit in eo a septem stellis ursae minoris circumdaria, a quibus distinguitur, atque ita, quod docet Mayo, optimè quadrat in Virginem, quae est in Ecclesia veluti polum, et vertex mundi, sublimis supra omnes, nosque in hoc mari navigans, et naufragantes dirigit ad portum.

Porro sanctissimos etiam viros solitos fuisse b. Virginem adoratoriis cultu per genuflexiones religiose venerari, ex variis, hisque authenticis historiis facile commonstrabo. Legimus in libro, cuius titulus est, scala coeli, idque refert ipse auctor Segala (*lib. de arte mirab. am. servit. et honor. b. Virg.*), monachum quendam Deiparentis famulatum addictissimum, solum fuisse frequentissime genuflectere ante b. Virginem, et praecipue quando sacrum Mariae nomen auribus insonabat. Cum autem ob nimiam senectutem tanta corporis debilitate laborasset, ut Abbas duos fratres illi destinasset ad movendum, et conducendum eum, quo ipsi placuisset, accidit ut cum praedicti fratres a cella eius absentes, opusque esset moveri, et ad ipsum cum mitteretur, nihil profecisset, tunc ad b. Virginem se convertens, dixit, adiuva Domina famulum tuum Fratrem: rem sane mirabilem, continuo beata Virgo cum magna virginum comitiva ei adfuit, quarum duae, una a dextris, alia a sinistris eum tenentes, sublevarunt; beataque Virgo videns, quam multum illi displiceret, quod ob nimiam corporis debilitatem non posset solum genuflexionum tributum ipsi pendere, illum resiliit ad pristinum illud robur, quo tringenta retro annis in iuventute sua gaudebat: quo beneficio accepto, toto vitae suae tempore quoties poterat Virginem genuflectens adorabat. Chronica etiam Patrum Capucinorum rem aliam huius argumento satis congruam commemorant. Quidam frater desiderans b. Virginem excellenti cultu adorare, centum genuflexiones singulis diebus Virgini magna exhibebat humilitate; quia tamen aliis suae religionis occupationibus praepediebatur, decrevit a numero illo centum genuflexionum quinquaginta subtrahere, et alia solum quinquaginta praestare; cum autem quadam die huic sacro exercitio vacaret, b. Virgo ei apparuit, praefixo cooperta pallio, cuius medietatem praefulgentes stellae ornabant, quae hunc in modum eum alloquuta est: Scio fili, quod genuflexionibus tuis coepisti pallium meum his splendidibus stellis decorare; at quia quinquaginta genuflexiones subtraxisti, medietas

huius pallii rutilantibus stellis caret: quibus Marianis verbis admonitus frater agnovit, quantum placeret Deiparae Virgini genuflexionum cultus, et deinceps centum, quae solebant genuflexiones, singulis diebus integerrime praestare. Deinde in vita s. Elisabeth regis Hungariae filia, quam refert Surius, narrat ipse, quod prae eximia devotione, quae Virginem colebat, quandam ancillam suam monuerat, ut singulis noctibus illam a somno excitaret, cum in consortio principis esset in lecto, ita tamen silenter, ut clanculum posset surgere, bonamque noctis partem in genuflexionum cultu in Virginis honorem consumere: *Nocturno*, inquit, *tempore a latere viri surgens, orationibus, et genuflexionibus occupabatur*. Surius etiam (*tom. 2*) refert de sancta Catharina virgine filia d. Birgitae, huiusmodi genuflexionibus in cultum Deiparae ita deditam esse, ut singulis diebus quatuor horas in hoc sacro exercitio insumeret, copiosum lacrymarum imbrem prae eximia eius devotione effundens. Denique Pelbartus (*in suo stellarario*) commemorat quandam ex nostris Fratribus ad tria signa campanae pro salutanda b. Virgine solum fuisse ter genuflectere; cum autem quadam die accideret, ut auditio signo, frater ille pigritia superatus, et corporis ignavia victus, et lecto, in quo iacebat, non surgeret ad salutandam Virginem, et ante illam ter, ut solebat, genuflectendum, sed tres salutationes angelicas iacens recitaret, tunc somno correptus, vidit splendens, et inclinaris, ut erax in caerulea eius stela terram tangeret; quod per tres vias fieri observavit. Qua mirabili visione motus fuit, ne deinceps ignavia corporis torpens, solitas illas genuflexiones inter salutandam Virginem unquam omitteret: pariterque fuit tacite rephrensus, quod cum aliquo turris inimicis, et omni sensu carens, audi'o signo salutationis angelicae ter genuflectisset, ipse Deiparae particeps, nec semel genuflectisset, sed inurbano, et irreverenter in lecto quiescens, Virginem salutasset; qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

In idem argumentum, hyperduliac cultu, qui omnium aliorum Sanctorum cultum excedit, Ecclesiae catholicae imagines Deiparae Virginis religiose veneratur, cuius occasione imaginum usus multifariam constabatur.

§. I.

RECENSENTUR PRIMI, ET NOVISSIMI HAERETICI, QUI IMAGINES CHRISTI, B. VIRGINIS, ET SANCTORUM DEMOLIRI TENTAVERUNT.

Permulti faere, qui sacrum imaginum usum ab Ecclesia Dei penitus exterminare conati sunt. Doctissimus noster Alfonsus de Castro tanquam primis huius erroris auctoribus, illum tribuit cuidam nomine Felici, re tamen infelici, cum damnatus fuerit in Concilio Franconiae, si credimus Platinae in Adriano. Primo tribuit eundem Sereno Episcopo Massiliae, quem d. Gregorius (*lib. 7. epist. 109. lib. 9. epist. 9*) acriter reprehendit, et quod mirabilis est, eundem errorem tribuit d. Epiphanio; sed pace tanti viri dixerim, aliter se res habet: nam observavit Illustrissimus cardinalis Bellarminus (*de imag. Sanct. lib. 2. cap. 6*): Felix quidam natus fuit: in Synodo Francfordiensi est felix Episcopus Urgelitanus: hic autem, ut tradit Ado (*in Chron.*), non incidit in eum errorem, sed in illum, quod Christus est Filius Dei adoptivus, et non naturalis. Serenus autem Episcopus longe ab eo errore alienus fuit: nam cum confregit imagines, id fecit, quia recessi conversi pro diis illas adorabant: quare d. Gregorius (*praec. loc.*) potius laudat zelum eius, et fidem, solamque eius temeritatem increpat, quod eo medio usus fuerit ad extinguendum illum abusum, monetque eum, ut fideles illos instruat, qua ratione imaginibus religiose uti possint. Divus autem Epiphanius, quam longe ab hoc errore abfuit, testimonium omni exceptione maius tradit 7. Synodus (*act. 6. tom. 7*), ubi ab omni erroris suspitione circa imagines purgatur: his ergo omissis, Nicolaus Sanderus (*lib. 1. cap. ult.*) de imaginibus affirmat, primos imaginum hostes fuisse Manichaeos, cuius duplex fundamentum est, primum, quia Faustus apud Augustinum (*lib. 20. cap. 3. contra Faust.*) gloriatur, quod suae sectae homines Deum sine imaginibus, et simulacris colerent, secundum, quia Thamasius satis id indicat (*in 7. Synod.*), Nicephorus vero (*lib. 16. cap. 27*), et Cedrenus (*in compend.*) arbitrantur principum huius erroris fuisse quemdam nomine Xetaidis, imperante Cerone: fuit autem ille homo Persa, et Barbarus, imo et servus fugitivus; et quamvis baptizatus non esset, simulans tamen se christianum, in Episcopatum se intrusit: cardinalis tamen Bellarminus (*lib. 2. de imag. cap. 6. tom. 1*) primos imaginum exterminato-

res fuisse Iudaeos, qui in suo Thalmud, quod in lucem prodit anno Christi CDLXXVI. ord. 2. diserte docent, Christianorum ecclesias esse domos idololatricae: quod propter imagines dixisse, clare constat ex 7. Synodo, ubi frequenter Iconomachi dicuntur Hebraei, tum ex dialogis Leontii, quorum quaedam pars habetur in eadem Synodo (*act. 5*), postmodum post annum Domini DC. exortus est Mahumetus, qui imaginum usum penitus interdixit, ut habetur (*in eius Alcor. cap. 13. et 17*). Unde videmus Turcas nullas prorsus admittere imagines, et propter earum cultum nos christianos idololatrias existimare; postea vero annis fere centum elapsis, hoc est post annum Domini DCC. Hebraeos quidam maleficus Ezidi regi Arabum Mahumetaco promissit tringenta annos vitae, si in suo imperio iuberet imagines Christi, et Sanctorum ex Christianorum ecclesiis delivelli, cuius historiae meminit 7. Synodus (*act. 5*), eandemque referunt Cedrenus, Zonaras, et Nictha in vita Leonis Isauri. Ceterum inter imperatores, primum qui imagines delivelli, putant nonnulli fuisse Philippicum, quia illas ex parietibus s. Sophiae abradi iussit: Constantianus Papa restitit; sed falluntur, quia non ex errore contra imagines, sed ex odio illas tantam abrasil, quia sanctos illos Patres representabant, qui sextae Synodo interfuerant, ut adolevit Paulus Diaconus (*lib. 18. in addit. Eulrop. et lib. 21*). Iam vero Leo Tertius dictus Isaurus, a quibusdam Iudaeis deceptus, hunc errorem vehementissime auxit: nam et imagines e templis deponi, ac deleri praecipit, et igni tradi, et fideles, qui ei contradicere ausi sunt, interfecit, ut referunt Paulus Diaconus, et Zonaras (*in vit. ips.*), et Cedrenus (*in comp. hist.*), et Sanderus (*lib. 7. de visib.*), Monac. (*haer. 130*), et Plati. (*in Graec.*). Secundo refert illum Leoni restitisse, et Gregorius Tertius illum excommunicasse, et imperio privasse; et hanc fuisse primam occasionem, propter quam a Graecis imperatoribus latina Ecclesia deficit. In eodem errore persistit Constantinus Quintus Copronymus Leonis filius, qui etiam Nestorianus fuit, ut ex eisdem historiis constat, qui conciliabulum Constantinopolitanum contra imagines congregavit. Retinuit posica eundem errorem Leo Quartus, quo mortuo Irene auxit eius, et Constantinus Sextus, eius filius, catholicam Ecclesiam defenderunt, et eorum tempore Adrianus Primus congregavit 7. Synodum, 2. Nycanenam pro imaginum defensione. Ille vero Constantinus grandior factus, repudiata Nycana Synodo, errori Iconomachorum adhaesit. Ante quos omnes imperatores Iulianus apostata imaginem Christi confregit, et Christianis, a quod imagines, ut idola, adorarent, obiecit, ut d. Cyrillus Alexandrinus (*lib. 6. contr. ill. circ. med.*), et Sozomenus (*lib. 6. hist. cap. 20*) testantur. Postea vero hunc errorem secutus est Felix, ut docent Concilium Senonense (*decr. fid. cap. 14*), et eius discipulus, Claudius Taurinensis Episcopus, ut refert Ioannes Aurelianensis (*lib. 6. de cult. imag.*), quos contra illum scripsit. Postea Wicleff quidem errorem amplexus est, ut late Uvaldensis (*tract. tom. 3. de sacram. cap. 50*), et sequentibus, qui in Con-